

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De Notitia Status Reipublicae**

**Rechenberg, Adam  
Bomsdorf, Karl August von**

**Lipsiae, [1698]**


**urn:nbn:de:bsz:31-102581**




Gym 211

Ex  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.

65720





2. D. B. P.

De

NOTITIA  
Status Reipublicæ,

Moderante

<sup>adam</sup>  
L. A. RECHENBERG, P.P.

& h. t.

Colleg. Philosoph.

DECANO,

Maj. A. C. M. DC. XCVIII.

<sup>in</sup>  
ACADEMIA LIPSIENSI

publice disserere  
instituit

CAROLUS AUGUSTUS a BOMSDORF,

Eques Misnicus.

---

LIPSIÆ,

Excudebat CHRISTOPH. FLEISCHERUS.

(1698)

g

WOLFF  
STANISLAUS REIPUBLICANUS

L. A. REICHERTBERGER, P. R.

Collegii Theologici

DECANO


M. A. C. M. D. C. C. C. C.

ACADEMIAE THEOLOGICAE

20 an Gym 2 11

CAROLUS AUGUSTUS & DOMINICUS

CHRISTOPH. REICHERTBERGER



jus res  
statum  
tum,  
que c  
animo  
lent.  
ter rec  
bari po

P  
tatis rer  
templam



B. C. D.

§. 1.



Propositum mihi est, notitiam status reipublicæ ex genuinis Philosophiæ civilis & historiæ fundamentis describere. Quod dum paro, subinde ad politicorum præcepta, & historicorum monumenta respiciendum esse intelligo; cum ex illis vera status publici notitia potissimum haurienda sit.

§. 2.

Ac quod historicos attinet, illi quando gentis alicujus res gestas, fide sincera & cum judicio posteris tradunt, statum ejusdem reipublicæ primo institutum, inde firmatum, aut per rerum vicissitudines etiam mutatum, simulque causas, consilia & vires principum, quique motus animorum fuerint, altius sæpe ducto initio, explicare solent. Quod *Polybii* inter veteres, & *P. Jovii*, ac *Tbuani* inter recentiores excellentium historicorum exemplis probari potest.

§. 3.

Politici vero faciem alicujus reipublicæ, quam mutatis rerum causis forte induit, in historia descriptam contemplantes, nexum inprimis imperantium & parentium,

A 2

ejus-



ejusque firmitudinem ac robur, per causas, quæ in pactis & legibus publicis consistunt, providaque imperantium, cura conservari debent, præcipue attendunt, indeque de statu publico ferunt judicium.

§. 4.

Unde statim adparet, mutuas sibi operas in cognitione status publici, historiam pragmaticam & Politicam, præstare. Politicus enim notitiam status reipublicæ indagaturus, vel ex historia, vel experientia propria prius sibi comparet eam, necesse est; quam de illo, ex regulis civilis prudentiæ judicare sustineat. Historicus autem, nisi rerum civilium peritus sit, statum civitatis publicum, etiam minus recte exposuerit; et si documenta historiæ condendæ necessaria ipsi ad manus sint.

§. 5.

Id quod amplius constabit, si qualemcunque status publici definitionem in medium adferamus. Nempe est *ille habitus alicujus reipublicæ, qui ex forma regiminis, pactis, legibus ac moribus publicis cum imperantium tum parentium, simulque ejus viribus atque consiliis nosci ac æstimari debet.*

§. 6.

Error hinc vulgaris notandus venit, quo *status publicus & jus publicum* confundi solent. Hoc enim ex legibus publicis seu pactis imperantium & parentium, quibus status alicujus reipublicæ roboratur, noscitur: ut sunt in Imperio Germanico, A. Bulla, Capitulationes Cæsareæ, Recessus Imperii, Pacificationes Passaviensis seu Augustana, Osnabrugensis, Neomagiensis & Rüstvicensis: *ille vero (Status publicus)* ex historia & politica doctrina imprimis hauritur: ita tamen, ut jus publicum non excludatur; cum illud pars notitiæ status publici sit. Luculentum etiam discrimen est inter jus publicum Romanum, quod ad  
statum

statum rei Romanæ spectat; & inter jus publicum Germanicum, quod ad statum rei Germanicæ, hoc est, imperii Germanici, pertinet. Quod dum multi non satis distinguunt, mirum non est, quæstiones de statu publico, & de jure publico confundi.

§. 7.

Nos hic de *statu reipublica* generaliter acturi, animadvertimus, illum vel in se, vel in respectu ad alias reipublicas, cum quibus ei commercia aut alia negotia intercedunt publica, considerari posse. Nam sicuti in civitate parvæ societates inter se commercia habent, quibus status earum privatus conservatur; ita & magnis societatibus, hoc est, rebus publicis & regnis, sua cum aliis rebus publicis, maxime vicinis, pacta, commercia, aut alia status jura intercedunt, quæ ad status publici notitiam vel maxime spectant. Id quod infra exemplis idoneis adductis expositum dabitur. Observavit hoc prudentissimus *Conringius in libr. de Civili Prudentia c. XII. p. 239.* ubi causam hujus notitiae reddit: *quoniam, inquit, civitas & reipublica quaque vel indiget aut favore, aut auxilio, aut bonis nonnullis alterius reipublica; vel habet, quod ab illa sibi metuat, vel denique potest aliquid rerum suarum emolumentum inde expectare. Nihil horum vero cedere in usum reipublica illius, ejus notitiam primario spectas, potest; nisi probe cognitis iis omnibus etiam alterius reipublica, quæ isthuc faciunt. &c.*

§. 8.

Primum tamen notitiam status reipublicæ *in se*, hoc est, non habita contemplatione hujus vel illius vicinæ reipublicæ, considerare, quæque ad illam faciunt, pro modulo ingenii mei exponere juvat. Vbi cum multa incidant, tum præcipuas ego partes, easque ad indolem status cognoscendam, necessarias tradere, hic aggrediar. De-

inde vero, quando singularium rerum publicarum in exemplis mentio facienda est, vicinarum civitatum status quoque attingendus erit, ob causam, quam in medium jam attulimus.

§. 9.

Socrates olim inter sapientissimos philosophos relatus, apud *Xenophontem lib. III. de factis & dictis ejus memorabilibus, in Leunclav. edit. f. 772. seqq.* nobilem adolescentem Atticum, cui Glauco nomen erat, examinaturus, cum patriæ reipublicæ regimen intempestive affectaret; *quatuor* status publici capita necessaria proposuit, ejusque de his judicium requisivit; ut hominem ruditatis & præposterius ambitus convinceret. *Primum* erat, notitia proventuum seu redituum publicorum, ad civitatis Atheniensium res vitæ non tantum necessarias comparandas, sed & ut opulentior redderetur: *alterum*, ratio belli prudenter suscipiendi, quod copias, adparatum magnum, atque pecuniæ vim requirat: *Tertium*, custodia regionis, ad quam opportuna præsidia necessaria sint: *quartum* erat, argenti fodinarum & frumenti ad civilis vitæ usum necessarii cura; ne civitas inopia laboret. Horum omnium cum valde imperitus Glauco, juvenis ambitiosus, deprehenderetur; Socrates eum gravissimis argumentis usus, monuit, ut a prensando publico status munere tantisper desisteret; donec harum civilium rerum peritiam sibi comparasset, qua adhuc præcox ille juvenis carebat.

§. 10.

Memorata hæc, ex dialogo Socratis cum Glaucone, capita, summam status publici, qui Atheniensium erat, continere, ut non negarim; ita affirmare nolim, ea plenam negotiorum status recensioem complecti. Nihil enim de prudentia legislatoria, de cura sacrorum, de jure  
forde-

foederum, legationum, de judiciis, de magistratibus & similibus, a Socrate ibi quaeritur. Quia forte existimabat, si quis harum quatuor rerum in administratione reipublicae obviarum & necessariorum ignarus sit; capessenda reipublica, quae plura requirat, minus fore idoneum, inde satis constare possit. Idcirco addit etiam, ut Glauconis ambitionem reprimeret; eum; qui ne quidem patrum sui domum unam bene regere aut augere norit, longe impari civitati Atheniensium, quae ex pluribus, quam decies mille domibus constabat, regenda fore. *Si uni, ait, prodesse nequeas, qui pluribus possis?* Subjuncto igitur monito, dialogum claudit his verbis: *Quamobrem si & clarus esse vis in republica, & in hominum administratione, imprimis operam dato; ut ea noris, quae suscipere cogitas.*

S. II.

Aristoteles, quando *l. I. Rhetoricor. c. 4.* deliberationes civiles, quae ad reipublicam statum pertinent, tractat, quinque capita enumerat: *Primum* est de vectigalibus & redditibus publicis: *secundum* de bello & pace: *tertium* de custodia regionis; *quartum* de iis, quae importantur & exportantur: *quintum* de legibus. Horum enim cura inprimis Athenienses statui suo publico intentos exercere solebat. Nobis tamen, & his quinque partibus recensitis, plenam status publici notitiam absolvi, non fit verisimile. Verum quidem est, *primo* ad statum reipublicae requiri notitiam & ejus, quantum ex quaque re civitas capiat, & sumtum quos faciat civitas: *secundo* cognitionem virium & copiarum civitatis, tum quantae sint, & quae nunc suppetunt, tum quae parari possint, & cujus generis utraque sint: quomodo item & quae bella civitas antehac gesserit: ut & quemadmodum circa arma instructae sint civitates aliae, quibuscum vel bellum vel pax civitati intercedere

dere debet: *tertio*, accuratam peritiam regionis & præsidii ad custodiam regionis collocati; cuiusmodi sit, & quemadmodum pro conditione loci & temporis aliarumque rerum sit instituendum: *quarto*, scientiam eorum, quorum civitas vel eget, vel abundat ad omnem civilis vitæ usum: ut & quidnam alibi, & ubinam locorum, vel deficiat, vel superfluum sit: *quinto*, notitiam legum, quanam in civitate obtineant, aut olim obrinuerint; idque an cum noxa, an cum salutē civitatis. Sed horum omnium notitia licet præcipui in quavis civitate sit momenti; non tamen omnia quæ ad plenam & integram Status publici peritiam pertinent, complectitur. Nam Aristoteles divisionem illam, recte observante *Conringio* l. c. tantum ibi instituit in usum rhetorum; non autem philosophi civilis: nec voluit omnia in deliberationem venientia adducere in medium; sed præcipua duntaxat; vel ut ipse loquitur, *τὰ πρῶτα*. Quare nobis, de aliis huc etiam pertinentibus, differendum venit.

§. 12. Vbi præmittendum puto discrimen inter rem publicam jam constitutam, & constituendam: Non de posteriori, sed priori mihi potissimum hic sermo erit. Quia status publicus in civitate jam condita melius forte, quam in idea, qualis esse debeat, considerari potest. In civitate enim constituenda prudentia universalis magis, quam singularis requiritur. Quanquam hæc etiam, absque illa, esse nequit.

§. 13. Hujus ergo notitiæ partes, (vulgo *objectum* vocant) pro captu meo satis quidem tenui, primum ex civili prudentia eruere tentabo; deinde ex historia civili exempla vel observationes adducturus. Ex his enim duobus fontibus,

tibus, si propria quis rerum civilium experientia destituitur, notitiam hanc præcipue hauriendam esse, quotquot sunt prudentes, affirmant. Experientia quidem longo rerum usu comparata, multa hic suppeditat; sed non omnia, nec semper maxima. cum multa in negotiis status publici incidere possint nova, quæ quis diu licet rerum civilium tractatione occupatus, ante non expertus sit: ac adeo aliunde consilii rationes tunc petendæ veniant. Unde vero, nisi ex historia & civilis prudentiæ præceptis? *Prudentia* enim dicente *Isaaco Casaubono, in Præfat. Polyb. nihil est aliud, nisi multarum rerum memoria, & usus complurium negotiorum.* Ex quo fit perspicuum, quam sint, non dicam affines; sed pæne idem prudentia atque historia. Quid namque aliud legitime scripta historia agit; nisi ut res hominum, mores, instituta, gesta, memoriæ commendet, vitamq; exemplis instruat: idque tanta copia, quantum & hic opus est, & ab experientia nemini mortali-um contingere potest. Verum enim illud *Orveni* est:

*Non tam multa gravis rerum experientia longo  
Tempore, quam parvo, te docet historia.*

confer *H. Conringii de Civili Prudentia c. VII. & X.*

§. 14.

*Conringius*, hac in parte, accurate philosophatur, quando *libro* jam laudato *cap. XII.* notitiam hanc ad quatuor causarum classes refert; ita, ut primum *finis* attendatur, hoc est, scopus, quem præcipue civitas propositum habeat; num omnium civium ex æquo salutem quærat, aut vero dominantis præcipue utilitatem, reliquorum non nisi ex accidente: tum qua in re felicitatem suam collocet, in potentiane; an in divitiis; an in otio & voluptatibus; an denique in virtutum exercitio cum sufficiente rerum copia conjuncto: num denique singula quæque

B rei

reipublicæ ad communem illum scopum faciant; an non-  
nulla potius aliud agant. *Secundo*, quod *materiam* attinet,  
videndum, quæ sit conditio rerum omnium in civitate,  
immobilium & mobilium, publicarum & privatarum:  
interque immobiles ipsius præcipue regionis: quemad-  
modum scilicet res illæ omnes sese habeant ad propositum  
civitati scopum, ad formam regiminis, atque eos, quorum  
in manu est respublica. ut proinde huc pertineat etiam  
pars pleraque eorum, quæ ad primas quatuor classes illo-  
rum, quæ in deliberationem veniunt ex Aristotelis recen-  
sione §. II. Videndum porro, quæ sit conditio personarum,  
sive civium sive reliquorum incolarum, composita cum  
scopo & forma regiminis ipsisque regentibus. Ac pro-  
inde inquirendum, quis & quantus illorum numerus,  
quæ dotes aut qualitates corporis, quæ animi, idque ratio-  
ne virtutum cum moralium tum intellectualium omni-  
um, quæ denique ipsorum conditio circa fortunæ, quæ vo-  
cantur bona. Est vero & personarum examen instituen-  
dum veluti rerum; spectatis & scopo & forma regiminis,  
& ipsis reipublicæ administratoribus. *Tertio* contemplan-  
da venit ipsamet forma regiminis, sive ἡ πολιτεία. Cum  
autem illa sit dispositio aut τάξις potestatum civitatis  
omnium, in primis vero ejus quæ summa est: præcipue  
attendendum, quanam summæ potestatis aut τῆ κυρίας,  
quæ deinde magistratuum, quæ denique judiciorum sit  
in civitate ordinatio. Num porro illa regiminis ratio  
conveniens sit, necne, examinandum est; facta compa-  
ratione cum iis, quæ ad materialem & efficientem civitatis  
causam pertinent: perinde atque in universalis pruden-  
tiæ negotiis faciendum esse, supra *libr. cit. c. X. p. 212.* Con-  
ringius monuit. Hæc autem omnia sunt propria *formali*  
causæ. *Quarto* denique investigandum, primario qui-  
dem,

dem, quemadmodum sese habeant omnes, quotquot aut  
summam potestatem exercent, aut funguntur magistrati-  
bus, aut jus dicunt; nec ipsimet duntaxat, sed quomodo  
& horum primarii quoque ministri ac domestici: idque  
respectu habito partim ad facultatem eorum, partim ad  
voluntatem. Inquirendum porro, quis numerus, quæ  
qualitates (ut vocant) sint eorum, quorum famulatio ad  
res potissimas belli ac pacis, primarii isti utuntur. Inqui-  
rendum denique, quantum rerum illis ad manum sit ani-  
matarum pariter atque inanimatarum idonearum; ut sunt  
instrumenta gerendarum rerum. Quæ num itidem pro-  
be sint composita, facto examine ad causas tres, materi-  
alem nempe, finalem & formalem, dispiciendum est. Per-  
tinet verò omnis ejusmodi consideratio ad classem *causæ  
efficientis*. v. *Conring. l. c. cap. XII. p. 243. sequ.* Et hoc est,  
quod *Cicero l. II. de orat. c. 82. dixit, caput est, rempublicam nos-  
se.* Hæc notitia, quam generatim delineavimus, in *inte-  
riorem & exteriorem* amplius distingui potest. Ac *exterior*  
quidem notitia ex forma regiminis usuque jurium summi  
imperii, qui vel liberior vel adstrictior esse solet, facilius  
comparatur; quam altera, quæ sublimioris paullo inda-  
ginis est. quia arcanas administrationis reipublicæ ratio-  
nes & consilia continet, quam ex administratione rerum  
tantum divinare aut colligere quodammodo licet. So-  
lent enim consilia status, quæ ad interiorem reipublicæ  
notitiam spectant, multis involucris ac simulacris velari;  
ne emanent, aut si æmulis forte innotescant, intervertan-  
tur. Inde & arcana reipublicæ appellantur, quæ ex cre-  
bro cum aulicis prudentibus & legatis commercio, aut et-  
iam ex quorundam actuum experientia interdum noscun-  
tur. Quæ autem libris jam prodita sunt, ea amplius pro-  
B 207



arcanis status haberi non posse, quilibet facile intelligit; quanquam antea arcana fuerint.

§. 15. Ad reipublicæ ergo habitum exteriorem pertinent, cum ordo imperandi & parendi, seu ex ultroneo consensu, seu vi primum ille constitutus sit; tum jura summa imperii, eorumque exercitium, sive absolutum illud, sive per pacta cum ordinibus restrictum atque limitatum sit. Interest enim maxime notitiæ status, non ignorare fontem, unde omnè in populum emanat imperium: quod ex formâ reipublicæ & administrandi modo innotescit. Etsi forte pacta, quæ inter imperantes & populum intercedunt, omnibus cognita atque perspecta non sint; cum ex illis quædam ad interiorem reipublicæ statum pertinere queant.

§. 16.

Dum vero administratio reipublicæ, seu regimen, quo jura imperii exercentur, circa res aut *sacras* seu ecclesiasticas, aut *civiles*, aut *bellicas* occupatur; apparet, statum reipublicæ in *ecclesiasticum*, *civilem*, & *bellicum* distinguendum esse. Qui tamen omnis unum scopum, hoc est, salutem populi, propositum habet; habere certe debet.

§. 17.

*Status ecclesiasticus* ex jurisdictione ecclesiastica noscitur, quæ jure divino, naturæ & gentium summis imperantibus competit. Nam etsi vera ecclesia, ex Christi & Apostolorum institutione, non sit *status* propriè dictus; per Cleri tamen ambitionem, typum reipublicæ ac status induere cœpit; ita, ut novus in rebus publicis multis Christianis, status per mysterium enatus sit, qui peculiaria jura, personas, res & caput suum habet peculiare. De quo

quo hic disquirere, locus non est. Interim tamen, cum ille status reipublicæ innexus sit, eamque multis in locis alteret, ejus quoque indoles cognoscenda est politico. Quæ, ni fallor, ex *M. Antonii de Dominicis libris de Republica Ecclesiast. & P. Suardis Hist. Concil. Trident.* nosci poterit. Ut vero iste cum statu reipublicæ civili conciliari possit, *Petrus de Marca* archiepiscopus Parisiensis, in libro de *Concordia Imperii & Sacerdotii*, demonstrare ausus est. Sed accuratius in hac prudentiæ parte *H. Grotius*, libro de *jure summarum potestatum circa sacra*, *D. Schilterus* libris *VII. de libertate ecclesiarum Germania*, & *Pufendorfius* libro de *Habitu Religionis Christianæ ad statum civilem*, versati sunt. *Thomas Hobbesius* quidem in *Leviathane* suo, multa etiam de statu ecclesiastico non contemnenda tradit; sed quia subinde profanas & portentosas suas hypothesen immiscet, caute admodum legendus est.

§. 18.

*Status Civilis*, quatenus ab Ecclesiastico & bellico distinguitur, tum ex forma imperii civilis, tum ex juribus ejus, quæ partes summi imperii vocantur, imprimis noscitur. Ubi si de forma, subjectique indole populi constet, personæ, res, & actiones, circa quas jura imperii occupantur, considerandæ veniunt. Atque huc spectant *leges publicæ*, per quas civibus innotescit, quid ipsis faciendum, quidve omittendum sit: *Magistratus & judicia*, in quibus jus dicitur, legumque executio procuratur, ut jure quisque suo potiri queat: *Jus tributorum* ad sumtus civitatis, pacis, bellique tolerandos necessariorum. Quæ cum varii generis sint, diversisque modis colligi possint; cum *regionis indoles*, tum *civium res familiaris* modique, acquirendi simul cognosci debent. Præsertim cum ad robur civitatis, tributorum copia multum conferat, unde

proventus, quot & quales ex terra, ex aqua, ex artibus mechanicis, ex mercatura haberi possint, indagasse, pars notitiæ status publici, non postrema est.

§. 19.

Deinde verò ut de sanitate ac firmitate status civilis recte judicetur; cum imperantium ac ministrorum prudentia & virtutes simul contemplandæ veniunt; an illi prudentia rectrice polleant, sui que populi conditionem ac statum satis perspectum habeant, ejusque commodum fideliter promotum eant; tum etiam unio in civitate perpendenda est; an civium animi per factiones & diversa studia distracti sint, principem suum ament, & in nemine plus sibi præsidii, quam in eodem repositum arbitrentur. Quo enim firmior inter imperantes & cives unio, eo majore cum efficacia, vis imperii per universum civitatis corpus dispensari atque conservari potest.

§. 20.

Unde si in Civitate vis legum manca, justitia venalis est, civium ordinumque animi ac studia inter se dissident, disciplina publica negligitur, onera civilia, non habita proportione possessionum, describuntur, aut multiplicantur, nec ad usum reipublicæ impenduntur, aut res familiaris exhauritur, luxus invalescit, imperantes & ministri supremam reipublicæ legem, hoc est, salutem populi insuper habent, humiliiores a potentioribus opprimuntur; statum civilem corruptum, ruinæque proximum esse, quilibet facile perspicit.

§. 21.

*Status bellicus* ideo ad statum reipublicæ pertinet, quod status civitatum & rerum publicarum inter se pax sit minus fida atque firma; ac adeo pacis tempore de bello etiam cogitandum. Iste autem ex rebus, quæ ad tute-

lam

lam reipublicæ armatam spectant, æstimatur; quæ in viris armorum peritis, viribusque validis civitatis consistunt: ut sunt militum fortiumque virorum copia, arma, munita loca, rerumque gerendarum nervus, pecunia. Ubi simul consilia & molitiones vicinorum exploranda; nec non fœdera observanda, quibus civitas, hoste ingruente, defendi, visque injusta repelli queat.

§. 22.

Facit huc, quod *Hobbesius*, in *Leviathane*, libro ob portentosa dogmata alias caute legendo, c. *XXV*. prudenter monet: *Ad administrationem publicam scitu ait, necessaria sunt, hominum (id est materia, ex qua civitas constituitur) ingenium, jura summa potestatis, æquum, justum, bonestum, & eorum contraria que sunt; que multam postulant, ut recte cognoscantur, experientiam. Item que sunt tam sua, quam vicinarum civitatum vires, opes, prasidia, classes, & oportunitates; etiam qui socii, qui aditus, qui affectus, que factiones, & que agitent consilia. Denique cognita hac omnia, nisi recta adhibeatur ratiocinatio, inutilia sunt. Utile enim, nescienti recte uti, nihil est.*

§. 23.

Progredior ad *interiorem notitiam* status reipublicæ, quæ res & rationes cujusque civitatis arcanas complectitur, ac intuenti externam reipublicæ faciem non statim obviæ fiunt: ut sunt imperantium & civium varia ingenia, scopus consiliorum, pactorum seu legum fundamentalium usus, quibus formula regiminis definiri solet, regionis proventus varii, eorumque copia, qua ararium augetur; vires reipublicæ & earum usus; vicinorum affectus, studium & potentia; fœdera, quæ civitati prodesse aut nocere possunt; religio, quatenus statui reipublicæ innexa; quæ inclinatio principis, quæ populi mentes, quæ ar-

tes

tes sententiarum, quæ voluntatum invitamenta, quo decreta tendant, quam facta respiciant metam; quibus involucris consilia velentur; quæ fraus aut veritas simulationum, & quæ similes sunt arcanae status rationes, de quibus *C. Tacitus* imprimis in *libris VI. Annalium* solerter tradit; quando Tiberii artes, quarum scopus fuit, dominationem sine fine stabilire, describit. Unde forte plures, quam ex *Machiavello*, arcanae dominatus rationes disci possunt. Quanquam multa Tacitus subtilia & recondita consilia paucis, sed significantioribus verbis quandoque involvat, quæ iudicium, ut vocatur, pragmaticum atque profundum, si penetrari debent, requirunt.

§. 24.

Forfan ergo non abs re erit, præeunte nobis *Baetlero*, viro in hac prudentiæ parte solertissimo, inde pauca hic repetere: ut constet, *C. Tacitum* status publici Romani interioris, qualis Tiberio imperante erat, non fuisse imperitum.

§. 25.

Primum nempe cum Tiberii scopus esset, absolutum dominatum sub schemate optimi principatus stabilire; consequens erat, nihil peni habere; iusta an iniusta forent media huic fini obtinendo idonea; si modo colore aliquo in publicum utili præscribi possent. Inde mira simulatione & dissimulatione, multisque simulacris usus est, ut omnia, senatus arbitrio sensim subtraheret, sibi que callide vindicaret. Nam præ se tulit, quasi Senatus maiestatem & potestatem augere vellet; cum per Consules ab initio statim omnia, tanquam vetere republica inciperet. Ideo & aristocratiam commendavit, & per Accisimum, imperium plane recusavit; Certamina tamen senatorum non interrupit, sed libere dissentientes cum silentio audivit.

Nego-

Negotia ad senatum disceptanda remisit, passus est secum  
& cum suis legibus agi, domumque, cuius splendorem fir-  
mitatemque unice quærebat augere, a republica distra-  
xit. Precibus a senatu pro liberis privilegia & honores  
petiit; ad Senatum quædam majora rejecit; conquestus  
etiam, quod Senatus cuncta curarum rejiciat ad princi-  
pem. Imo rogavit plane, ut consules, seu quis alius re-  
gimen rerum susciperet. Interim ne his artibus simulan-  
di principatus resolveretur, maxima quæque sibi vindica-  
vit, ac apud se retinuit, dataque occasione suæ potestatis  
eminentiam graviter inculcavit, ac in causa ad Senatum  
remissa, omnia sibi integra postulavit, ambigua & imple-  
xa oratione subinde usus; etiam libertatem egredi-  
endi in dicenda sententia perstrinxit, & arcana imperii  
subinde aliud quasi agendo vindicavit. Vim legum ut  
in se traheret, providit quidem in judiciis ut valerent, ci-  
vilissima sententia professus; minui jura, quoties gliscat  
potestas, nec utendum imperio, ubi legibus agi possit  
at non obscure simul vim dominationis miscuit; quando  
aliquos amicitia Augustæ, supra leges efferrî sivit, ac deni-  
que lege majestatis & delationibus, tanquam una litura  
ceteras leges delevit: & ut securior dominatio foret,  
jura cognationis cedere juribus imperii oportuit. Ger-  
manici potentiam interrupit ac imminuit, cum æmulos ei  
dando, tum periculis objiciendo: Liviam sibi æquari  
hauit passus est, nec Sejano matrimonium Livie petenti,  
annuit: Agrippinæ votum de matrimonio, quo multum  
a republica peti existimabat, intervertit. Eminentium  
virorum ingenia noscere studuit; ut eos diligentius obser-  
varêt, opes, virtutes, claritatem suspectavit, depressitque  
& imminuit tales, quantum potuit: neminem eo usque  
attolli passus est, ut ipsi obligatus crederetur. Domi cum  
C  
tristi-

tristiora exempla edidisset, ministros facinorum atrocium,  
velut piaculares victimas, votis & affectibus populi im-  
molavit. Ac etsi omnia magistratuum munia occupave-  
rat; suam tamen Consulibus & Prætoribus speciem reli-  
quit, ac minorum quoque magistratuum potestatem exer-  
ceri passus est. Invidiosa quæque, castigationes, objurga-  
tiones magistratibus, per speciem augendæ potestatis, reli-  
quit, etiam suos damnandi officio subtraxit. Omnes vi-  
ros illustres admittere ad rempublicam, periculosum no-  
vo suo principatui duxit: ideo mediocres potius, quam  
excellentes ad curas publicas vocavit. Eminentes au-  
tem sicut non admittebantur statim; ita titulo tenus ac  
specie videbantur admitti; revera exclusi, dum in urbe  
retinebantur. idque ne agi videretur, penuriam ad offi-  
cia virorum questus est princeps: In partem favorabilium  
alios venire passus est, si laboriosa erant, & per modum mi-  
nisterii. Adjuutores interim magnarum rerum, quibus  
imperia carere magna nequeunt, mira arte lecti: quales  
Sallustius Crispus & Sejanus, quorum consilia in maximis  
ac præcipuis rebus Tiberio pro regula fuerunt, postquam  
de fide eorum non esset amplius dubitatum. Populi jura  
cum in se traxisset Tiberius; subinde tamen hominibus os  
sublevit, & vel sefellit plerosque, aut placavit. Inde co-  
mitiorum juribus sibi vindicatis, imaginem tantam comi-  
tiorum sine re illi permisit, varioque vultu adornavit:  
clementiam, liberalitatem & munificentiam ostentavit;  
ut populus tempestive lætioribus factis recrearetur. In-  
anes populi rumores super his & aliis negotiis neglexit,  
dicens, in civitate libera, liberæ linguas esse oportere, &  
vulgus fervidum verbis, nec ultra ausurum. In militibus  
præsertim prætorianis munimentum principatus statuens,  
novis juramentis a se obstrictos semper circa se habuit:

illius

eorum

eorum curam & benevolentiam a nemine passus est captari. Exercitus per provincias, ab initio principatus, tumultuantes, mira arte & temperamento compositas sefellit, ad ultroque principatu revocavit, quæ ante concesserat. Atque ut securior esset, maximis exercitibus filios præfecit, majestatem ex longinquo militibus ostentavit. Exteros quoque observavit, Archelaum pridem sibi invisum, structa fraude circumvenit; Marabodum illexit, & specie pacis firmandæ, discordiarum semina exteris injecit per Drusum, Artabano vero æmulum dedit. Ut auctoritatem & famam tueretur, vel ostentaret, adulationes reprimere & tolerare, tristitia occultare, & fortuita in gloriam, vertere solebat. Tandem caput rerum non omisit, arcem imperii insidendo. Hæc & plura alia, de *statu Tiberii firmato*, *Clapmarius* & *Cyr. Lentulus* de arcan. rerum pl. *Forsnerus* & *Bæclerus*, in Annot. & Commentar. in *Annal. C. Taciti*, & ex parte etiam *Lipsius*, in iisdem annalibus, prudenter observarunt & copiosius exposuerunt.

§. 26.

Ex his artibus Tiberianis, quæ ad interiorem status notitiam faciunt, constare simul arbitror, in contemplando statu alicujus principis, difficile arduumque esse, artes tyrannicas, & artes regias recte discernere. Occurrunt enim hic multa bonis malisque principibus, in arte regendi, communia. *Aristoteles l. V. Politic. c. 11.* dum specimina tyrannidis recenset, multa etiam tradit, quæ in principatu firmando, & licita & necessaria sunt. *Uti & Machiavellus libr. de Principe*, multa habet ad principatum stabilendum non iniqua, quod *Conringius* in *Præfatione & Notis suis* ad illum librum animadvertit. Unde nemo tyrannicum statum æstimare potest; nisi qui jura cujusque status ex parte imperantium ut & parentium accurate cognoverit.

C 2

rit.



rit. Vere enim *Bodinus l. II. Polit. c. 2.* scribit: *Tyranni vox ignota, plerosque impulit in errorem, & in perniciem principum multorum armavit.* Quod ex recenti historia Caroli Stuarti Regis magnæ Britannia probari posset; nisi res nota foret. Sed Tiberii hic statum tyrannicum arguunt cum scopus ejus, dominatio scilicet infinita, tum consilia & artes tyrannicæ jam memoratæ: in quibus nihil turpe, nihil illicitum illi habebatur, dummodo finis iste obtineretur propositus.

§. 27.

Ceterum cum omnium rerum humanarum vicissitudo sit, tum illa maxime etiam in regnorum & rerum publicarum statu publico deprehenditur; ita, ut vix seculum elabatur, quo non status reipublicæ insignem subeat mutationem. Ac adeo maxime fallunt & falluntur, qui cum de statu alicujus reipublicæ aut regni judicare volunt; tempora non distinguunt, quæ mutationi semper sunt obnoxia & variant, divina providentiâ, quam gentiles fata appellant, illa moderante. Adparebit hoc, opinor, si ex civili regnorum historia, quæ hodie in Europa vigent, exempla quædam illustriora in medium adferam, deque illis, quod statum quidem externum attinet, pauca ex historia politica adhuc disserere instituam.

§. 28.

Ac ne longe primum exempla petam, Imperium Germanicum statim occurrit. Quot mutationes Status ejus per longa temporum intervalla sustinuit, dissertationis meæ jam *Præses dissert. Academ. part. II. dissert. XII. exposuit.* Unde, si superius & hoc nostrum decurrens seculum tantum intuemur, utrumque multiplici rerum conversione maxime memorabile. Quanta enim mutatio in Ecclesia, quæ statum reipublicæ traxit, quanta & in ipsa repu-

republica Germanica fuerit, multis scriptorum commentariis expositum passim legitur. Mihi summa mutati status capita tantum hic delibasse, non erit dividia.

§. 29.

Nempe Maximiliano I. imperante, constitutis iudicio Camerali & Regimento imperii, novus iudiciorum ordo non tantum processit, abolita ultionis privatae consuetudine, qua antea potentiores sibi ipsis jus impune dixerant, auctoritatem Caesaris fere detrectantes; sed Imperator etiam pacem publicam (den Königl. Land-Frieden) stabilivit, & habitis comitiis frequentioribus, multas publici status corruptelas emendavit. Ac, ut in tam vasto diffusoque imperio iurisdictio melius exerceri, & tranquillitas hactenus per tot factiones turbata, conservari posset; salutaris in publicum instituto, Imperium pene rotum in sex primum, deinde quatuor additis, in decem Circulos divisit. Et cum per corruptissimos Pontificum & Cleri ad omnia prona flagitia mores, ecclesiae status miserrimus esset; laudatus Maximilianus, princeps non minus magna prudentia quam pietate insignis, ex officio Pontificem & Clerum Romanum in ordinem redigere quoque ausus est. Quando anno 1510. centum adversus Curiam Romanam gravamina colligi non tantum curavit; sed & cum Ludovico XII. Galliarum Rege, insequenti anno, de convocando & celebrando Concilio Pisano, *pro necessitate & utilitate Reipublicae Christianae contra Julium II. Papam* (ut verba edictorum apud Goldastum *Constitut. Imp. t. III. f. 484.* habent) sategit. Quanquam salutare illud institutum, cum Papa Maximilianum in hac causa, a Gallo abstraheret sibi que iterum conciliaret, frustra tum fuit. *Conf. Justinianum libr. II. non procul a fine, P. Bembi Hist. l. XII. P. Suavis Hist. Conc. Trid. l. I. & Edm. Richerii Hist. Conc. Ge-*

*neral. l. IV. p. 167.* Unde Pontifex postea fulmine in Regem Gallia detonuit, regemque excommunicavit. Qui contraria obnunciatione diras illas mascule revicit; ut apud *Tbuanum l. 1.* legere est. Cæterum vero dum Philippus Maximiliani filius, Ferdinandi Arragonis seu Catholici filiam Johannam, ex nutu parentis, sibi matrimonio junxisset, ut regnorum Hispania hæres fieret; Germania Hispanica potentia tunc maxime emergentis per domum Austriacam latius innexa fuit. Inde ex æmulatu Gallorum & Hispanorum postea fatalia certamina enata, quibus Italia & Germania, velut theatrum, non sine status publici concussione, præbere necessum habuit.

§. 30.

Carolo autem quinto, post obitum Maximiliani, anno 1519. rerum potiunte, in Germania major status mutatio accidit. Nam ut nihil de formula Capitulationis Carolo præscripta, qua initium restringenda arctius potestatis imperatoris, suadente tempore & personæ electæ conditione, factum referam; religionis & reipublicæ mutationem, statum simul publicum valde alterasse, tot comitia, fœdera, tumultus & bella, durante ejusdem memorabili imperio, loquuntur. Inter quæ Smalcaldicum, cujus exitus tristis Protestantibus fuit, maxime eminet. Et nisi Mauritius Elector Saxonis, post artificiosam dissimulationem, tandem Cæsaris potentiam felici armorum successu fregisset, Passaviensi insecuta transactione, Germania haut dubie universa aliam faciem induisset. Dei ergo beneficium insigne fuit, quod Mauritius Germaniam veteri suæ libertati & tranquillitati asseruit, simulque conscientiarum libertatem, qua Protestantes hodieque fruuntur DEI gratia, vindicavit. Unde ex eo tempore in Germania status Protestantium, a pristino illo, quo

sub-

subjecti jugo tenebantur, multum mutatus fuit; ita ta-  
men, ut religiosa pace Augustana anno 1555. confirmata,  
concordia civilis pariter inter diversæ religionis ordines  
iterum reducta atque stabilita fuerit. ¶ Quam Ferdinan-  
dus I. Maximilianus II. & Rudolphus II. moderatioribus  
consiliis usi, ad hoc nostrum usque seculum conserva-  
runt. Quia laudati Principes, statui Germaniæ publico  
expedire, judicabant, si Hispanorum & Gallorum rebus  
turbidis sese immiscere abstinere.

¶ Verum, ut nulla respublica, urgentibus fatiis, firmum  
diu & inconcussum statum sibi promittere potest; ita &  
hæc felicitas Germaniæ sub initium hujus seculi mutare  
cœpit. ¶ Cum ordines quidam Protestantium sibi ab ad-  
versariorum machinationibus in aula Cæsaris metuentes,  
in fœdus mutæ defensionis, quod *Unio Evangelicorum*  
dicebatur, coirent. Atque hoc Protestantes, & inter  
hos, Reformatos imprimis in summam invidiam apud  
Romano-Catholicos adduxit; ut publice clamitarent, il-  
los hoc agere, ut veterem reipublicæ statum plane ever-  
tant, subrutoque Cæsaris fastigio, summam rerum ad se  
pertrahant. Accendebat odia cleri intemperies sibi ab  
ista unione metuens. ¶ Unde anno hujus seculi decimo a  
Romano-Catholicis, in congressu Würzburgensi *Unioni*  
illi aliud fœdus oppositum fuit, quod *Liga Catholica* vo-  
cabatur. cujus Dux Maximilianus Bavarus, vetus Ele-  
ctoris Palatini, qui *Unionis* caput erat, æmulus. Atque  
ita atroci incendio, per Germaniam, copiosa materia dige-  
sta fuit, levi postea occasione flammam conceptura sta-  
tumque Germaniæ convulsura. ¶ Quam dissensio Prote-  
stantium etiam inter se, sparsique a maleferiatis ingeniis  
maledici libelli excitare magis ac provocare videbantur.

Acce-

Accedebant Donavverdenſis tumultus a *Tbuano l. 138.* deſcriptus; item controverſia de ſucceſſione Juliacenſi, motusque Bohemici exitiales, qui bello deinde exorto, Germaniam univerſam involverunt atque propemodum exhauferunt.

§. 32.

Novus inde, ſed calamitoſi ſtatus in Germania ordo pandebatur, qui non niſi diuturno illo & ferali bello, quod tricennale vocatur, composito, finiri atque mutari potuit. Quæ vaſta hinc conſilia agitata, quæ fœdera pro dominandi cupidine inita & reſciſſa, qui bellorum prætextus, quæ cauſæ principes in diverſas partes diſtraxerint, quæ varia belli vices, quæque fata eodem manſerint, juſtis commentariis *Pufendorfius* inprimis, *libris XXXI. de bello Suecico* expoſuit.

§. 33.

Videbatur quidem poſt obitum Matthiæ imperatoris, ſtatus Auſtriacus in ſummum diſcrimen adductus; quum hinc Bohemi, illinc Hungari Ferdinandum II. Imperatorem, Regem ſuum agnoſcere nollent, ejusque amulo, Frederico Palatino jam in regem Bohemiæ creato, auxilium opemque ferre pararent. Enimvero una victoria, auxilio Maximiliani Bavari, in Monte Albo parta, res Palatini proſtravit, Bohemos & Hungaros terruit, Ferdinandum erexit, ut vires non tantum ſuas mox recrearet; ſed etiam proſpero rerum ſucceſſu poſtea elatus, victricia per Germaniam arma, ſub obtentu coercendorum Palatini ſociorum circumferret, Principumque Proteſtantium vires attereret, ac ſtatum ad extremum Germaniæ mutaret univerſum. Et ne belli prætextus deſſet, anno 1629. edictum promulgavit, ut, qui poſt pacificationem Paſſavienſem, a Proteſtantibus occupata eſſent bona eccleſiaſtica,

stica, illi restituere: Catholicis. Sic enim fore existimavit, ut Protestantibus hoc modo labefactatis aut everfis, Catholici deinceps ordines vel inviti sese submittere dominatui Austriaco cogerentur. Et nisi Gustavus Adolphus Rex Suecorum se rebus istis anno 1631. miscuisset, armisque Electoris Saxoniae sociatis, Tillium Caesaris & Ligisticarum copiarum supremum Ducem prope Lipsiam, memorabili praelio profligasset; nova haut dubie facies status Germanici adparitura fuisset. Sed clades illa vastissima Caesaris consilia turbavit, omniumque spes fructuum, quos ex victoriis per duodecim annos uno tenore partis capturum se confidebat, evertit. Adeo, ut ex eo tempore quidem vires Germaniae diuturno bello attritae fuerint; status tamen ejus insecuta pace Osnabrugensi anno 1648. iterum firmatus magis atque stabilitus fuerit. Nam religionis libertas, cum juribus Principum ac ordinum, publice isthac pace denuo asserta atque restituta, merito Germanici status firmamentum audit. Unde & procerum imperii ac vicinorum etiam Regum rerumque publicarum status interesse visum est, sedulo curare; ne pax illa convellatur. v. *Pfanneri Hist. Pac. Osnabrug.*

§. 34.

Qualis Gallici & Hispanici regni status intra duorum propemodum seculorum decursus fuit, id paucis, ob rerum vices & copiam, exponi nequit. Summam tamen rerum, quae ad status mutationem spectat, hic attingam. In Gallia Ludovicus XII. Valefius, Aureliorum Dux, regnum anno 1498. suscepit, & teste *Arnoldo Ferrono*, ea moderatione Gallis imperaverat, ut defunctus, integri principis patrisque patriae nomen retulerit. Floruit enim hoc rege eximia ratio administrandae reipublicae, neque exactiones fuerunt intolerabiles, quod inter tot

D

bella

bella *Ferrono libr. III.* miraculo simile habetur. Huic  
successit Franciscus I. Valensius anno 1515. perpetuus Caro-  
lo V. æmulus futurus. Nam æmulationem primò accen-  
derat, quod Carolus V. ipso excluso, ad summam impe-  
rii Germanici dignitatem evectus esset: deinde lites ac  
bella de regno Neapolitano & Ducatu Mediolanensi ac-  
cesserunt; cum ante rebellionem Hispanorum in occasi-  
onem regni Navarra recuperandi vertisset, universum-  
que pene regnum capta etiam Pampelone subegisset.  
Inde quamdiu fere vixit Franciscus I. Gallo cum Casare  
certamen fuit. Et quum ille anno 1547. vita excederet,  
successor ejus Henricus II. solus e filiis superstes, non mi-  
nore æmulatione in Casarem, dominatum in Europa af-  
fectantem flagravit, ac a Mauritio Saxone, anno 1552. in  
foedus contra illum adscitus, metam potentia Casaris  
posuit; cum Tullum deditum statim reciperet, Metim  
dolo occuparet, Veroduno etiam sibi vindicato. *v. Sleid.  
l. XXIV. & Thuan. l. X.* Henrico II. successore patris in-  
hastiludio occiso, magna status rerum in Gallia mutatio  
facta est. Nam Guisii, Franciscus & Cardinalis Carolus Lo-  
tharingus ad apicem rerum contendentes, sub pretextu  
religionis omnia turbarunt. Hinc Conjuratio in Guisios,  
& Hugonottarum nomen odiosum ortum, ex quo tur-  
bæ, in gente turbulenta diuturnæ enatæ, quæ quadra-  
ginta demum annis interpositis, vix consopitæ fuerunt;  
cum accedente Liga sancta, Papa & Hispani illas strenue  
foverent. Ortum illarum & exitum, *Thuanus* copiose  
& prudenter exposuit. Nam postquam illæ Henricum  
III. varie etiam exercuissent, Henricus IV. inter sum-  
mos heroes numerandus successit, ac regnum Franciæ  
primus in stirpem Borboniam transtulit. Hic post mul-  
tas variasque difficultates superatas, Religionem Roma-  
nam

nam seu Pontificiam professus, fundamentum conjurato-  
rum, quod ipsis erat hæresis Heinrici, sustulit. Quo sub-  
lato, pax & tranquillitas regno restituta fuit. Atque sic  
statu Gallia mutato, regnum ex eo tempore maxime  
florere cœpit. Omnibus enim notum satis est; quod,  
cum sub Ludovico XIII. Regina matre ab aula remota,  
summa rei Francicæ administrandæ Cardinali Richelio  
commissa esset, summa ejus consiliorum fuerit; Hugo-  
nottas opprimere, omnesque nocendi vires eorum fran-  
gere. Arx autem horum & munimentum præcipuum fu-  
it Rupella: itaque eam urbem terra marique cinxit, ac fa-  
me intolerabili pressam tandem expugnavit. Qua capta,  
vires Hugonottarum in Gallia prostratæ sunt. Atque ita  
rebus domi pacatis, Hispanorum & Austriacorum, quippe  
æmulorum potentia perpetuorum, vires accidere, ne  
Gallia amplius formidabiles essent, fategit. Inde cum  
Suecis adversus Austriacos percussio fœdere, illorum suc-  
cessus armorum in Germania stitit, & ut Hispanorum vi-  
res abstraheret, Catalaunos Hispanorum jugum excutien-  
tes, in potestatem juris sui recepit, annoque 1642. Perpini-  
anum expugnavit. Nec pretium belli Germanici leve pu-  
tandum est, quod, pace Monasteriensi cum Cæsare & Im-  
perio facta, obtinuit. Nam Brisacum & Philippiburgum  
cum Sundgavia & suprema Alsatia præfectura Gallo relin-  
quebantur. Atque sic Francia externi hostis metu defun-  
cta, sub Ludovici XIV. imperio, ad summum potentia fasti-  
gium pervenit. Id quibus artibus, quibusve armorum  
successibus factum sit, his paginis explicari nequit. Hoc  
vero in primis notatu dignum, quod, cum ævo superiori  
Hispanica potentia adeo incubuerit Gallia, ut ab ea ægre  
se defendere posset; nunc verso rerum statu, Hispania vix  
majoris Europæ partis auxiliis adversus Gallos amplius de-  
fendi-



fenditur. Documentum enim potentia Gallicæ luculentum, nuperrimum triste vicinis bellum dedit.

§. 35.

*Hispania status*, intra duo secula, diversis fati obnoxius & invidenda incrementa cepit, & vicissim hoc decurrente seculo, decrevit. Nam ut *Tbuanus l. I. Hist.* probat, nomen Hispanicum antea obscurum & vicinis pene nationibus incognitum emerfit, & superiori ævo in tantam magnitudinem excrevit, ut formidolosum ex eo & terribile, toti terrarum orbi esse cœperit. Post novum enim orbem Hispanis detectum, auxerunt Hispanorum potentiam per adfinitatem tot regnorum hæreditates tandem in Ferdinando Arragonio & Isabella confusæ, ex Philippi Austriaci totius Belgii hæredis matrimonio hinc ex Germania, inde ex Gallia conjunctæ opes, quæ a trunco naturali quasi recisæ, Hispaniæ veluti alienæ arbori insertæ sunt. Nam Philippo natus Carolus, a patre Belgii, a matre Hispaniæ & majoris Italiæ partis, a Maximiliano avo amplissimi in Germania patrimonii, ac postremo imperii hæres, totam Europam spe & fatali potentia complecti visus est. Cumque tot locorum intervallis & moribus distinctarum nationum Princeps esset, ex Germania oriundus, in Belgio natus & educatus; in Hispania tamen, quamdiu per bella Gallica & Germanica licuit, sedem præcipuam habuit, & Hispanorum ductu maxima prælia fecit, ac postremo renunciatum imperio & abdicatis a se regnis, ibi privatus mori voluit. v. *Tbuan. Hist. l. I.* Testamentum ejus & præcepta filio Philippo II. ante obitum data prudentissima sane, idem *Tbuanus l. XXI.* annotavit. Quæ si observasset, tot bellis sibi noxiis maxime non fuisset involutus. At ille inter regna & adulantes acta juventute, adhuc induta gravitate austera, parsimonia verborum, turbæ fuga, formatus

tus

tus Hispanorum ad mores superbos, ne sermone quidem alio adibatur. Patre enim mortuo, avita ejus dominandi cupido nondum experimentis repressa haut facile finem aut modum patiebatur. Inde vastissima ejus domandi Europam consilia; ut nova scilicet Hispanica monarchia prævaleret, quam condere & firmare ipse moliebatur. Et ne prætextus aut favor gentium Christianarum deesset, subinde religio allegabatur eo colore, quod multum Catholicae religionis interesset, transire in Catholicum regem imperia rerum, nunquam alias extirpandis hæresibus valida futura, annotante *Grammondo Hist. Gall. l. VIII. initio*. Quam vero infelici successu hæc consilia & inde exorta bella terminata fuerint, ipse sero expertus doluit, misereque vitam anno 1598. finiit. Characterem animi hujus potentissimi regis H. *Grotius Annal. seu Hist. de Reb. Belg. l. VII. fol. 331. seq.* eleganter delineavit. Memorabilia etiam sunt præcepta status, quæ moriturus filio dedit apud *Tbuan. l. CXX.* nempe; ut Belgicas provincias conciliaret, plus in iis ad imperii securitatem præsidii esse, quam in Italia, Polonia, Suecia, Dania, ac Scotia; Scotorum regem egentem esse: Danum externorum opibus ditescere: Sueciam diffidiis laborare, & procul ad Septentrionem ab Hispania positam: In Polonia proceres Regibus autoritate præpollere: Italiam licet opulentam longe a mari Oceano abesse, & varia Principum in ea ingenia, variosque sensus esse.

§. 36.  
Filius *Philippus*, cui nomen *Tertio* factum est, regnorum hæreditatem quidem adiit; sed quod pater, qui ipsi pacem & otium a Gallis reliquit, suaferat, Belgicas provincias conciliare intermisit. Nam per Hispaniam statim adversum Batavos, acria consilia iterum expediri cœpere.

Quæ cum minus feliciter utrisque partibus certantibus  
triginta aut supra annos succederent, ad ultimum, anno  
1609. induciæ cum Batavis in duodecennium factæ sunt,  
quarum fructus, res Batavorum turbidas & attritas quo-  
dammodo recreavit. At Philippus dum insequenti an-  
no novies centies Maurorum millia, quod res novas mo-  
liri arguerentur, ex Hispania ejecit; vires regni valde de-  
bilitavit, solitudinemque per latas ejus provincias fecit; ut  
virorum postea Hispani copia necessariorum laborarint.  
Cum bello Germanico rex in gratiam Austriacorum prius  
sefe immiscuisset, atque Ambrosium Spinolam in Palati-  
natum, cujus magnam partem subegit, ante misisset, anno  
1621. vita excessit. Filius ejus *Philippus IV.* quidem sub au-  
spicium regni, morbos aulae suæ per sanare instituerat; sed  
dum exactis induciis Belgicis, bellum denuo exarsit, res  
Hispanorum Austriacis innexæ, in deterius magis mutatae  
fuerunt. Nam vasta regis consilia infelici rerum successu,  
tum a Germanis, Suecis & Gallis, tum etiam Batavis ita  
turbata atque interversa fuerunt; ut pacem cum Batavis  
Monasterii inire, eosque gentem liberam, in quam nihil  
sibi juris esset, pronunciare, necessum habuerit, omnibus  
simul locis, quæ bello isthoc ceperant, relictis. Ante et-  
iam Catalaunorum rebellio, & Lusitanorum defectio, quæ  
anno 1640. contigerat, statum Hispanorum multum immi-  
nuerant. Et quanquam Catalauni iterum a rege in ordi-  
nem redigerentur; Lusitani tamen Gallorum auxilio ad-  
juti, se in plenam libertatem vindicarunt. Nam mortuo  
anno 1665. Philippo IV. filius quatuor annorum puer, *Caro-  
lus II.* successit, quo sub tutela matris vivente, proceres su-  
is rebus magis, quam regni intenti, bellum adversus Lusi-  
tanos finire magis, quam segniter ita prosequi, consultum  
duxerunt. Præsertim cum Galli, suis rebus jam maxime,

floren-

florentibus, ipsis etiam in Belgio incumberent. Ita sub rege puero, Hispaniæ status Europæ ante formidandus, penitus fractus atque labefactatus fuit; ut exterorum ope atque auxilio hæcenus indiguerit. *conf. Bassarelli Bellum Lusitanicum.*

§. 37.

Si ergo quis *Hispanorum statum* hodiernum, cum eo, qui Carolo V. & Philippo II. imperantibus fuit, contendant, mutationem immanem ejus non integro elapso seculo factam facile deprehendet. Cujus causæ, si inquirantur, plurimæ dari possunt. Primum huc refertur, quod amplissimi ac late diffusi regni provinciæ, tantis Oceani & locorum intervallis disjunctæ, non in unum ambitum aut corpus collectæ sint. Unde impedita valde & incommoda earum gubernatio atque conservatio, quæ per Præfectos suis magis, quam regni commodis intentos fieri solet. Deinde magna hominum inopia Hispania cum ob diuturna bella, & colonias in Americam deductas, tum ob Mauros ejectos laborat. Itaque vix tantum militum, qui tot castellis præsidio sint, suppeditare valet, quantum ad provincias firmandas finesque tuendos satis est. Si bellum cum exteris incidit, peregrino ac mercenario ut plurimum milite indiget. Eandem ob causam nec classem numerosam amplius instruere ac sustentare valet. Cum tamen ad provincias maribus disjunctas, ejus usus Hispanis maxime necessarius sit. Accedit pecuniæ inopia, qua Hispania nunc premitur. Nam regiones Hispanicæ non tantum exhaustæ sunt; sed America, quæ ærarium ante Hispanorum fuit, non eas amplius opes fundit, quas antehac rex inde accepit. Venæ etiam auriferæ exarescunt, & magna divitiarum ejus terræ pars ad peregrinos, Gallos, Genuenses, Batavos & Anglos redit. Taceo, quod classes argen-

argentiferæ in Oceano tempestatibus & prædonum injuriæ sæpius obnoxia fiant, & intercipientur. Quantum etiam argenti ibi ad sacrum Sacerdotum & Monachorum ordinem redeat, qui ab omnibus oneribus reipublicæ immunis esse vult, tot pingues episcopatus & Monasteria in Hispania testantur. Incolæ præterea segniores sunt, ac ab agricultura, opificiis & mercatura fere abhorrent. unde ad peregrinos, Gallos maxime, opificiorum & mercaturæ fructus ibidem redundant. Proceres, quorum magna ibi autoritas & opes sunt, sub rege minorenni suis rebus studuerunt, & in factiones scissi, salutem regni publicam, insuper habentes. v. Pufendorfii Isag. Histor. cap. II.

§. 38. Ad incommoda & pericula Hispanici status jam memorata, referendus est vicinus ac æmulus, imo hostis insidiosus, maximeque Hispanis formidandus rex Gallia. Cui nec vires ingentes, nec voluntas ad decerpendas regni istius provincias defunt. Præsertim si regiam stirpem cum Carolo II. extingui contingat. Ad unum certe hæredem tam pinguis tot regnorum & provinciarum disitarum hæreditas non redibit. Vicini enim ad quos oppressæ Hispaniæ calamitas aut incommoda pertinent, ne Gallus istis porietur solus, impedire conitentur. Divisio autem, quæ gladio determinanda erit, quantam rerum in Europa conversionem inducet?

§. 39. Ita status Europæ, quoad præcipuos ejus principatus, qui alios subinde in partes trahunt, intra duo secula maxime variavit. Qualis enim ante hos ducentos annos fuit, in compendio *Philippus Cominæus*, vir prudentissimus *Commentar. l. X.* descripsit: cujus verba a *Sleidano* latine

reddidit.

reddidit.  
enim.  
lus fere  
Deus ex  
Hispanis  
Italia Pr  
re-istulo  
potenti  
quam  
guant  
subria  
Princi  
oderunt  
libus fa  
Germa  
num as  
familia  
est  
bus G  
ad Oc  
sape g  
arces  
occafio  
tatus,  
sus ali  
equit  
modu  
ut unu  
punium  
ceptacu  
equitun  
status.

reddita, hic recitare, forte ab instituto nostro non erit alienum. *In rebus humanis, ait, ita comparatum est, ut nullus fere sit populus, cui non amulum aliquem & adversarium Deus excitarit. Gallis opposuit Anglos, & Anglis Scotos. Hispanis perpetua quadam simultas intercedit cum Lusitanis. Italia Principes magna ex parte retinent possessiones, nullo ferretitulo, & acerbe suis imperant. Iis adversantur relique potentiores civitates, Venetia, Florentia, Genua, nonnunquam etiam Bononia, Sena, Luca. Arragonia reges oppugnantur ab Andegavorum ducum familia, Mediolani & Insabria Vicecomites, ab Aureliana domo. Venetis sunt infesti Principes Itali & Florentini. Senenses autem & Genuates oderunt Florentinos. Genuates laborant & sunt divisi civilibus factionibus Fregesiorum, Adornorium & Auriorum. In Germania magne sunt inter Austriacam & Bavaricam domum emulationes, & que sunt ex Bavaria Ducum stirpe nata familia, inter se ipsa dissident. Austriacis Principibus magna est & grave odium cum Helvetiis. Impugnantur a Clivensibus Geldri, & hi valde sunt iniqui Juliacensibus. Que sunt ad Oceanum Germanicum & Balticum mare civitates, bella sepe gerunt cum Dania regibus. In Germania plurima sunt arces atque castella munita: que res licentius agendi multis occasionem prebet. Nam unus aliquis famulo tantum comitatus, civitati cuiquam denunciare audet inimicitiam, confusus aliquo castello, in quod receptum habet, & sociis aliquot equitibus. In hoc Genus hominum, Germania Principes non admodum animadvertunt, quoniam ipsorum opera nonnunquam utuntur: civitates autem, ubi facultas eis datur, severissime puniunt, & facta conjuratione circumvallant aliquando receptacula illorum, & demoliuntur, simul in eos usus aliquot equitum cohortes alunt. Atque is est per Europam rerum status.*

§. 40.

Verum hic *status Europæ*, a Cominæo delineatus, sub initium seculi superioris, imperante Maximiliano I. & deinde labentibus annis, sub imperio Caroli V. in univsum multum mutatus, novam velut faciem, post tot inter gentes bella, induit; ita, ut novus rerum Europæarum contextus a priori plurimum diversus observari cœperit. Quem *Paulus Jovius Tom. I. Hist. sui temp. l. 1. Francisc. Guicciardinus, Patricius Florentinus, Hist. sui temporis. Job. Sleid. comment. de statu religion. & reipub. & Augustus Thuanus Hist. primo statim libro*, graviter non minus, quam prudenter præ aliis illorum temporum historicis, exposuerunt.

§. 41.

Non minorem iste *status*, hoc nostro, quod nunc ad finem vergit, seculo, mutationem iterum subiit: quando primum vicinis, immensum gliscens Austriacorum potentia formidinem incussit; ut in fœdus coirent Gallus, Britannus, Danus, adjunctis Sabaudis, Venetisque & Batavis, diverso singuli respectu; sed in eo omnes convenientes, ut Austriacorum progressus armorum sisterentur. Præcipue tamen obtentui sumebatur Palatinus in avitum patrimonium reponendus, & ut Hispani Valle Telina, claustris Italiæ excuterentur. Interea Galli lætabantur, tandem se invenisse Suecos fœdere sibi junctos, qui potentiam Austriacorum tam valido militum numero succinctam cominus contunderent, spesque eorum amplissimas interverterent. Id quibus consiliis cæterorum Europæ populorum diversis, modisq; Marte sapius dubio, effectum sit, *Pfensendorffius Rerum Suec. l. 1. §. 59. seqq.* prudenter annotavit. Ad extremum inter tot novas rerum conversiones, aliam Europæi status faciem, Pax Monasteriensis & Osnabrugensis

gensis induxit. Et sane post illam magna ratione conclusam major & cultior Europæ pars tranquillo & quieto statu frui potuisset; nisi Gallorū prævalida & vasta consilia, non minori potentia nixa, statum Europæ bis iterum concussissent, belloque ancipiti involvissent. Unde magnam status mutationem, in principatuum profectu defectuque consecutam esse, hodie omnes norunt. Et quis divinare aut prospicere potest, quæ ante decursum hujus seculi adhuc fata statum Europæ mansura sint? Sane hoc dubio rerum Europæarum habitu, magna tempestas imminere videtur, quam avertere non nisi, qui omnia potest, solus Deus regnorum supremus arbiter, valet.

§. 42.

Quæ hic ideo in medium afferre placuit, ut constaret, regnorum ac principatuum statum, nullo seculo diu stetit se inconcussum, aut adeo extra fortunæ aleam fuisse. Id quod ex sola historia noscitur, quæ divinæ providentiæ hac etiam in parte theatrum pandit, in quo prudentibus Christianis, Dei admiranda judicia spectare licet, quæ a profanis hominibus sæpe parum attendi solent.

§. 43.

Multarum inde etiam rerum publicarum atque regnorum *ratio status* variat, nec semper eadem esse potest. Quia pro mutatione status publici, ratio & interesse ejus, quod vocatur, variet, necesse est; cum pro ingenio & virtute aut inclinatione imperantium, pro augmento aut decremento virium civitatis, pro capto aut studio ministrorum, qui in moderanda republica adhibentur, status publicus aliam faciem induere soleat. Adeo, ut quæ de statu rerum publicarum sententiæ, a quibusdam regularum instar politicarum venditæ fuerunt, facta scenæ aulicæ mutatione, sæpissime fallant. Excipimus tamen generalia, quæ ex indole & studio gentis, vel situ & regionum qualitate formantur axiomata. Hæc enim mutato statu, ob constantiam naturæ, eadem manere solent. Id quod exemplis idoneis, si res posceret, amplius demonstrari posset. Sed mihi jam abrumpendum est.

E 2

COROL-



COROLLARIA.

1. Notitiæ Status reipublicæ tres partes sunt, historica, politica & juridica; sed ultima ad jus publicum spectat.

2. Dictæ partes in tractatione non debent confundi.

3. Jurisdictio R. Imperii non complectitur omnia jura Imperii.

4. Status imperii Rom. veteris, a statu imperii Germanici moderni maxime differt.

5. Sine notitia status ecclesiastici, status politicus recte cognosci nequit.

6. Status Imperii Germanici, in universo terrarum orbe, parem non habet.

7. Illud Ovidii de Ponto, eleg. 7. etiam in politica prudentia valet:

Curando fieri quædam pejora videmus  
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

8. Religio Christiana statum civilem non alterat, aut mutat.

9. Recte Phil. Comineus comment. l.V. sentit: Tam est difficile in omni vitæ genere, accommodare se & ita gerere; ne quid erres. Magnum igitur DEI beneficium, valere sensu communi & judicio naturali.

S. D. G.

XI, A.



XI, A.

